



**Venerabilis Bedæ Presbyteri Anglo-Saxonis, Doctoris
Ecclesiæ Vere Illuminati Opera Theologica, Moralia,
Historica, Philosophica, Mathematica & Rhetorica,
quotquot hucusque haberi potuerunt omnia**

In Vetus Et Novum Testamentum, Salvberrimis In Moysis Pentatevchvm,
Tobiam & Iobum, Libros Regum, Davidis Pasalmos, Parabolas Salomonis &
Cantica, Prophetas &c. explanationibus & Quæstionibus enodata:
Moralibus doctrinis & expositionibus in quatuor Evangelistarum Evangelia
illustrata: facundissimis ...

Beda <Heiliger>

Coloniæ Agrippinæ, 1688

De planetarum & signorum cœlestium ratione

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72031)

B E D Æ P R E S B Y T E R I

DE PLANETARVM ET SIGNORVM

R A T I O N E .



IN QVVSITIONES ALIQVOT

planetarum.

Statumus in quo signo moretur, si nosse desideras, annos ab initio mundi per 30. divide, sumpto à libra initio: quicquid intra 30. remanserit, per duo. annos & dimidium partire, dato unicuique signo totidem. Cui autem signo defuerint 2. annis & dimidio, in illo verè Saturnus moratur.

Jupiter, indubitanter si vis scire in quo signo moretur, supradictos annos per duodecim divide: & quod infra remanserit, initio suo ab aetere sumpto, unicuique signo unum annum tribue. Cui autem defuerit annus, ibi se recepat Jupiter.

Si autem in quo signo sit Mars diligenter inquiris, sæpè fatos annos per annum & dimidium divide, à capricorno sumpto initio: & quod supererit per signa partire, unicuique datis quadragintaquinque diebus. Cui quadragintaquinque defuerint dies, ibi Martem habeas.

Si quis scire curat, in quo signo Venus splendida rotetur, supputationem longissimam, & multo errore involutam, nunc solerti indagazione abbreviata sic colligat. Annos ab initio mundi per octo computatos semper ejiciat, donec ad octo pervenire queat, & quicquid infra remanserit, per trecentos dies dividat: & ubi hic numerus de-



fuerit, quadraginta addat, & cuilibet signo viginti quinque distribuat, & à libra incipiat: & cui hic numerus defuerit, ibi Venerem se receptare cognoscat. Ad hæc sciat Venerem, Soli semper esse vicinam, sic quidem ut in longiorem nunquam ab eo recedat regionem, quin vel præcedat, ut regenda subsequatur plus quatuor aut tribus signis.

De Mercurio autem, quia nec difficilis habetur questio, non duxi necessarium ut longa subsequeretur descriptio, quia sic vicinus semper videtur & habetur Soli, ut nunquam vel præcedat vel subsequatur tantum, quin aut in præcedenti signo, aut in subsequenti, vel certè in eodem facillimè possit inveniri.

Item

Item de eodem alio modo.

Anno ab initio mundi summam, per triginta quoties potuerit, metiatur: quumque transgressi fuerint numerum, qui consentit mensis agnoscantur: atque ex his primo capricornus, deinde cetera signa fortiantur triginta, ubi consistunt, Saturnum nonnulli colligendum existimant: deinde ubi triginta defuerint, ibi Saturnum versari.

Ab exordio mundi annis per octodecim separatis, menses exuberantium annorum, si denot per eandem partem divideris octodecim, primum sagittario, deinde signis ceteris totidem tribuantur, ubi nam Jupiter domicilium habeat, indicabit. Siquidem cui signo octodecim tribuendi defuerint, Jovem in eodem morari dicunt.

Annos ab initio mundi per senarium divisit, & annorum numerum excedentium mensibus item per senarium separatis, atque unicuique signo sex assignatis, à scorpione duntaxat sumpto initio, Mars traditur manifestari. Namque in eo signo Martem inveniendum, cui sex defuerint partes, dicunt.

Annos ab initio mundi per viginti quatuor separare partem jubemur, & hinc summam non congruentium annorum menses consideratos applicare signis, exordio sumpto à Libra: ita ut unumquodque, viginti quatuor semper accipiat: etenim sic expensis, patefacit stationem Veneris.

Anni sæpè præfati, duodenarii parte separati, annorumque superfluentium cogniti, menses duodecim, Virginis sumpto ordine, reliquis totidem attributis, ubi se ceperit Mercurius judicabunt. Namque cuiusque duodecim assignandi defuerint, in eo versari Mercurium, curiosi talium rerum opinantur. Sin autem prima partitio duodenaria concludatur, inveniri planetam memoratam in Virgine semper putant.

Planeta, hoc est Errantes, sunt in numero certotantum septem: qui est respondeant septem diebus sive feriis totius septimanae vel hebdomadae: tamen eundem ordinem minimè servant, Quoniam Sol hic habetur quartus, & tandem est primus in hebdomada nostra: nam dicitur & dies Solis, & dies Dominicus. Item Luna, est hic ultima & septima: & in septimana est pro secundo die. Solus Mars concordat in situ cæli, & in numero hebdomatico. At Mercurius hic habetur sextus, & apud nos quartus dies septimanarius. Jupiter postea, qui & Jovis, est hic secundus. Saturnus senex Iovis, est hic primus, & apud nos ultimus. Ita se longè aliter habent res infernae & humanae, quam res supernae & caelestes. Nec est in homine posse omnium quæ supra sunt, ad ineffabilem & exquisitam normam scire, dicere, aut scribere. Verùm sapiat unumquodque ad sobrietatem, & timeat.

F I N I S.

ORDO PLANETARVM IUXTA NATURAM ET NUMERUM EARUM secundum Hebræos.

SOL, qui dicitur juxta Hebræos Hama, prima est Planetarum, secunda Venus, quæ dicitur Noga. Tertia Mercurius, id est Cocaph. Quarta Luna, quæ & Libala. Quintus Saturnus, videlicet Sabbai. Sexta Jupiter, id est Sedech. Septima Mars qui & Madei. Ad hunc ordinem fortiantur horas dierum & noctium totius septimanae, id est, à prima hora diei primæ feriæ solis: unde & dies solis dicitur, secunda hora Veneris, tertia Mercurii, quarta Luna, quinta Saturni, sexta Jovis, septima Martis, octava iterum solis: & sic per ordinem, ut diximus. Unde fit, ut secundum nomina Planetarum, quæ præfunt primis horis singulorum dierum, fortiantur ipsi dies nomina: id est dies Solis, dies Luna, dies Martis, dies Mercurii, dies Jovis, dies Veneris, dies Saturni. Primis au-

tem horis noctium totius septimanae, hæc præfunt planetae. Primæ horæ noctis, quæ sequitur diem primæ feriæ, præfuit Jupiter. secundæ Venus, tertiæ Saturnus, quartæ Sol, quintæ Luna, sextæ Mars, septimæ Mercurius.

Sol creatus est in Leonis decima quinta parte: Luna in Canceri decima quinta parte.

Mars creatus est in scorpium decima quinta parte, remotus à Sole nonaginta partibus.

Mercurius in septima parte Virginis, remotus à sole 22. partibus.

Jupiter creatus est in Sagittarii quinta parte, remotus à sole 120. partibus.

Venus creata in decima quarta parte libræ, remota à sole 59. partibus.

Saturnus creatus est in capricorni decima quinta parte, remotus à sole centum & quinquaginta partibus. Et hæc sententia universorum Ægyptiorum. Israhelita verò & Chaldaei alio modo sentiunt. Dicunt quidem solem in prima parte arietis creatum. Saturnum in prima parte capricorni, remotum à sole nonaginta partibus, Jovem in prima parte sagittarii, remotum à sole centum & viginti partibus, Martem in prima parte scorpium, remotum à sole centum & quinquaginta partibus. Venerem in prima parte Tauri, remotam à sole triginta partibus.

Summa quidem absidibus Saturni est in libra, Jovis in cancro, Martis in capricorno, Solis in ariete, Veneris in piscibus, Mercurii in virgine, Luna in tauro. Sol in ariete erigitur, in libra subvertitur. Saturnus in libra erigitur, in ariete subvertitur. Mercurius in virgine erectus, subvertitur in piscibus. Venus in piscibus erecta, in virgine est subvertita. Mars erectus in capricorno, subvertitur in cancro. Jupiter erectus in cancro, subvertitur in capricorno. Luna in tauro erigitur, in scorpione subvertitur. Sol præfuit calori, Mercurius siccitati, Jupiter ventis, Venus imbibibus, Luna frigoribus. Saturnus potior frigiditate, Mars calore nimio solis. Sol calidæ naturæ, coloris aurei. Luna frigida naturæ, coloris argentei. Jupiter frigida naturæ, coloris electri. Mars calidæ naturæ, coloris ærei. Venus naturæ tepidæ, coloris stannei. Mercurius naturæ sicca, coloris plumbei. Saturnus naturæ frigida, coloris ferrei.

De ortu & occasu duodecim signorum.

Temporum, quibus duodecim signa oriuntur aut occidunt, habenda est distantia. Nam quæ obliquè oriuntur, & rectè occidunt, celeriores ortus habent quam occasus: contra, quæ rectè oriuntur, & obliquè occidunt, tardius oriuntur, & celerius occidunt. Cancer, qui rectè oritur inclinaturque, merfatur, oritur duabus horis & duodecima parte horæ: occidit autem hora ac deince horæ. Leo oritur duabus horis & tertia parte horæ: occidit autem hora semis, & sexta parte horæ. Virgo oritur duabus horis & dimidia, & sexta parte horæ: humiliterque libra, occiditque hora & tertia parte horæ. Scorpius oritur duabus horis & tertia parte horæ, Sagittarius oritur horis duabus & duodecima parte horæ: occidit autem hora ac deince horæ. At contra, quæ obliquè oriuntur, & rectè occidunt, breviores ortus occupant quam occasus. Denique ex his est signum capricorni, quod oritur hora & deince horæ, occidit duabus horis & duodecima parte horæ. Deinde, quod sequitur unumquodque ex oppositis habet in occasu.

Hæc habent ista. Arietis cum Libra, in ortu & occasu concordat.

Taurus & Scorpius, Gemini & Sagittarius, Cancer & Capricornus, Aquarius & Leo, Pisces & Virgo.

DE

DESIGNIS COELI

Helice, id est, arcturus major, habet in capite stellas obscuras septem, in singulis auribus singulas super pectus 1. in spatula 1. in pede 1. in dorso 1. in tibia anteriore 2. super eandem tres: sunt omnes 18. Cynosura, sive Fenix, qui & Arcturus minor, & à quibusdam canis cauda vocatur, habet autem per unumquemque Angelum in humero splendidas 1. in cauda tres. Sunt autem inter ambos arctos stellæ 24. Superfunt autem aliæ stellæ 10. quæ præcedunt, & dicuntur Ludentes; & minima una, quæ vocatur Polus, ubi dicunt totum mundum revolvi. Draco qui continet utroque Arcturos, helicis supervolvit caput, fenicis circumcingit caudam. Habet autem in capite stellas splendidas tres, & per totum corpus 12 ab invicem distantes. Sunt omnes quindecim.

Hercules, qui stans genu flexit, habet autem in capite stellam unam, in utroque humero splendidas 1. in cito sinistro 1. in dextra coxa 2. in genu dextro 1. in eadem tibia 1. in dextra manu 1. & in ropulo quem tenet eadem manu 1. in sinistro genu 1. in eadem tibia 1. Sunt omnes duodecim.

Corona verò habet stellas novem in circuitu positas, sed ex ipsis sunt tres splendidiore ad caput serpenti archi.

Serpentarius, qui & Asclepius vocatur, stans verò supra scorpionem tenet serpentem in manibus. Habet autem in capite stellam splendidas 1. in sinistra manu 3. in dextra 4. in utroque humero 1. splendidas. In utrisque lumbis 1. in utroque genu 1. in dextra tibia 1. in utroque pede 1. Sunt omnes 17. Serpens, quem tenet in manibus, habet stellas in capite 2. per reliquum corpus 4. fiunt in totali 27.

Scorpio habet stellas in utrisque labiis 2. quantum priores sunt magnæ, secundæ obscuræ. In fronte verò 3. media autem ex ipsis splendidiore est cæteris. In spina splendidas tres, in ventre 2. in cauda 5. super aculeum 2. Sunt omnes 19.

Arca, qui & Bootes, custos plaustrum fertur esse. Habet autem stellas in dextera manu, quæ non occidunt, quatuor: in capite splendidas unam, in utroque humero unam, in utrisque mammillis unam, in dextro cubito quatuor, in sinistro unam, in utroque genu 1. Sunt omnes 16.

Virgo, quæ & iustitia appellatur, habet stellam in capite obscuram valde unam, in unaquaque ala duas, in singulis humeris singulas, in unoquoque cubito unam, in singulis manibus singulas, in pentula vestimenti sex, in unoquoque pede unam.

Ex geminis prior qui excedit ex cancro, habet stellam in capite splendidas unam in utroque humero splendidas unam. Sunt omnes 5. Alter verò habet in capite stellam splendidas, in humero sinistro unam, per singula femora unam, in dorso tres. Sunt omnes 7. inter utroque verò duodecim.

Cancer habet stellas splendidas in testa 4. in dextris pedibus per singulos unam, in sinistro primo 2. & in sinistro tertio 1. in quarto 1. in ore unam, in dextro labio 3. in sinistro duas. Sunt omnes 18.

Leo habet stellas in capite 3. in cervice 2. in pectore unam, in dorso tres, in summitate caudæ splendidas 1. sub pectore 2. in anteriori pede splendidas 1. Sunt omnes 13.

Agitator habet stellam in capite 1. in utroque humero

1. sed ea est clarior, quæ in sinistro humero est. In utroque cubito 1. in dextra manu 1. in summitate manus sinistrae 2. & super ipso brachio edulos 2. & in utroque hedulo stellam unam. Sunt omnes 10.

Taurus habet stellas in utroque cornu 1. in fronte 2. per singulos oculos 1. in nare 1. Hæ autem stellæ Plejades & Virgilæ, necnon & subuculæ dicuntur: in utroque genu 1. in palcario 2. in collo 2. in dorso tres, ex quibus novissima splendida est: in ventre unam, in pectore unam. Sunt omnes 18.

Cepheus habet in capite stellas splendidas 2. & in dextera manu splendidas 1. in utroque humero 1. in zona 3. in dextro latere ex transverso super ilium 7. in sinistro genu 2. in summitate pedum quatuor. Sunt omnes 21. Hic autem in Septentrionis incisione constituitur inter medium Septentrionalis circuli & æstivali solstitio.

Cassiopeja habet in capite stellam splendidas 1. in utroque humero splendidas 1. in dextra parte pectoris splendidas 1. in dextro cubito 1. in utrumque manuum summitate splendidas 1. in umbilico splendidas & magnam 1. in sinistro femore 2. in genu splendidas 1. & per singulos angulos in summitate scellulæ 1. Sunt omnes 13.

Andromeda habet stellam splendidas in capite 1. in utroque humero 1. in cubito dextro 1. in sinistro 1. in summitate manus splendidas 1. in pedaliū summitate splendidas 2. in zona 3. super zonam 4. in unoquoque genu splendidas 1. in dextro pede 2. in sinistro unam. Sunt omnes 21.

Equus, qui bellorum fons & Bello foreus dicitur, habet stellas in rostro 2. obscuras, in capite splendidas 1. in maxilla 1. in utrisque auribus splendidas 1. in cervice 4. in humero 1. in pectore 1. in spina 1. in umbilico 1. nitidas, in utroque genu 1. per singulos ungues anteriores unam. Sunt omnes 19.

Aries habet stellam in capite unam, in nare tres, in collo duas, in summitate anterioris pedis unam, in dorso quatuor, in cauda unam, in ventre tres, in lumbo unam, in summo pedis 1. Sunt omnes 17.

Triangulus, qui jacet supra caput arietis, habet stellas per singulos angulos 1. nitidas, ex quibus una est splendidiore cæteris.

Piscis Aquilonius habet stellas 12. Australis 15. Lintheum eorum in quo continentur, habet stellas ad Aquilonem 3. ad occasum 3. ad orientem 3. in connexu 3. Sunt omnes 39.

Perseus, qui fertur tenere caput Gorgonis, habet stellas in utroque humero splendidas 1. in summitate manus dextra unam, in ejusdem cubito unam, in summitate manus sinistrae unam, in ventre unam, in dextro lumbo nitidas unam, in dextro femore splendidas unam, in utroque genu unam, in tibia 2. Gorgonius autem dicitur habere in capite stellam 1. & in crinibus 3. Sunt omnes 16.

Lira habet stellas in utroque pedine 1. in singulas pedales 1. in modulo 1. in utroque humero 1. in jugo 1. in tympano splendidas atque candidas 1. Sunt omnes 9.

Cignus habet stellam in capite splendidas 1. in collo splendidas 1. in dextra ala 5. unam nitidas, quæ est circa collum: in sinistra ala 5. in corpore unam, in genitali suo magnam unam. Sunt omnes 14.

Aquarius habet stellas in capite 2. obscuras, in utroque humero splendidas 1. in summis manibus 1. per singulas mammillas 1. subtus mammillas ex utraque parte 1. in sinistro lumbo unam, in utroque genu 1. in dextra tibia 1. in singulis

pedi-

pedibus 1. Sunt omnes 18. Effusio autem fit dextra lavaque, in qua 1. sunt splendide: cetera vero obscura.

Capricornus habet in utroque cornu stellas 2. in naribus splendidam 1. in capite 2. in collo splendidam 1. in pectore 2. in anteriori pede 1. in summitate ipsius pedis 1. in dorso 7. in ventre 5. in cauda 2. Sunt omnes 26.

Sagittarius habet in capite stellas 2. in scapula unam nitidam, in dorso 3. in cauda 2. in anteriori genu 1. in utroque pede 1. in arcu 2. & in jaculo quatuor: una vero in summo, alia in medio obscura, & 2. in pennis jaculi, ex quibus clarior est una. Sunt omnes 19.

Aquila habet in pede stellam 1. in medio corpore obscuram 1. in rostro superiori 1. in subteriori 1. Sunt omnes 4.

Delphinus non multum supercurrit capricorno, habet in ore stellam 1. in vertice 2. in alae cus ventrem 3. supra dorsum 1. in cauda 2. Sunt omnes 9.

Orion obliquus quidem Tauro, habet in capite stellas splendidas 3. ex quibus una est splendidior ceteris. In utroque humero splendidam unam, in cubito 1. obscuram, in summitate manus 1. in zona 3. in mantili 3. obscuras, in utroque genu 1. in utrisque pedibus 1. Sunt omnes 17.

Lepus habet stellas in utrisque auribus 1. in corpore 2. in dorso nitidam 1. in posterioribus pedibus per singulos 1. Sunt omnes 7.

Canicula, quae oritur post Orionem, habet stellam splendidam in lingua unam, quam Syrii canem vocant rutilantem multum, & per intervalla colores mutantem: habet in utroque humero obscuram 1. in pectore 2. in anteriori pede sinistro tres, in dextro unam, supra dorsum tres, in ventre tres, in sinistro lumbis unam, in posteriori sinistro pede unam, in summitate caudae 1. Sunt omnes 17.

Navis, quae apud Argivos argo vocatur, habet stellas in anteriori parte navis 4. & in puppi 4. in utroque humero 5. in velo 3. in costa 5. Sunt omnes 21.

Cetus sub ariete & piscibus gradiens, habet stellas in cauda 2. obscuras: à cauda usque ad gimum 6. in ventre 6. Sunt omnes 14.

Eurus, qui & Eridanus, & à quibusdam Nilus, qui & Geon, è meridianis partibus habens initium ad Orionis pedem tendens: subjacet ei stella, quae vocatur Canopus, quae tangit splendens temonem. Navis spatium parvum patet, eo quod circa terram esse videtur: habet stellas in prima acie 3. in secunda 3. in tertia 3. usque ad novissima sex.

Piscis magnus & Auster dicitur, à Capricorno usque pisces ejus longitudo provolvitur, qui subjacet Aquario, & suscipit ejus effusionem. Habet stellas 12. ex quibus esse fertur sub pedibus Aquarii, & tres in brachiis ejus: ipsae autem clariores ceteris esse noscuntur.

Sacrarium, quod & Fanum accipitur, hoc signum sequitur caudam magni Scorpii, circumdat Septentrionem & quadam pars obtusior aëtur, quadam autem cito sub vespere deficit. Habet autem stellas super craticulam 2. in vase 2. Sunt omnes 4.

Centaurus fertur habere bestiam in manu juxta Sacrarium, in quo videtur offerre. Habet stellas in capite obscuras 3. in utroque humero splendidam 1. in sinistro cubito unam, in summa manu 1. in medio pectore 1. in spina 2. in ventre splendidas 2. in lumbis splendidam 1. in cauda 3. in utrisque genibus retrorsis 2. in utroque armo 1. in utroque pede anteriori 1. Sunt omnes 24. Ferunt tenere, sicut superius significavimus, in sinistro manu arma & leporem, in dextra vero bestiam, & à quibusdam hydriam aceti, quae habet stellas in cauda duas, in summo pede anteriore nitidam unam, & in spina nitidam unam, & in anteriore pede splendidam unam, & subter ipsum pedem unam, in capite tres: Sunt omnes novem, in totum vero 33.

Serpens, super cujus caudam corvum sedere dicunt, & in medio urnam asserunt. Ferunt enim, quod caput summitatis Cancro, & caudam ad Centaurum tendat, qui habet stellas 3. in cervice 1. in pectore 1. in ventre 1.

Corvus vero habet stellas tres, in rostro unam, in ala 1. in genitali unam. Urna autem habet stellas tres obscuras in medio labiorum. Sunt omnes 10. Sunt qui eam aliter pingunt, nempe serpentem supinum, urnam gestantem in dorso, & corvum caudam serpentis mordentem.

Anticanis dicitur sub Geminis bene parere, habet stellas tres, quarum una splendidior est ceteris: & ideo Anticanis vocatur, eo quod sit contrarius Cani.

Circulus quidem est in sideribus candido colore, quem lacteum esse nonnulli dixerunt. Eratosthenes autem, Mercurio dicit infanti puero inscitam Junonem dedisse lac: sed postquam rescierit eum Majae filium esse, rejecisse eum à se. Ita lactis profusi splendorem inter sidera apparere. Alii dixerunt dormienti Junoni Herculem suppositum, & experrectam ei quod supra diximus fecisse. Alii autem Herculem propter nimiam aviditatem, multitudinem lactis appetisse, neque in ore continere potuisse: quod ex ore ejus profusum, circulum signasse. Alii dicunt, quo tempore Ops Saturno lapidem pro partu attulit, jussisse ei lac præbere, quae cum pressisset mammam, profuso lacte circulum deformatum, quem supra demonstravimus. Hæc Hyginus.

In sagitta, una est quarta magnitudinis, tres quinta, & una sexta.

Sagitta inter duos circulos æstivum & æquinoctialem, signo Aquilæ superposita, dividitur ab eo circulo, qui utroque polo subjacet, ad Cancrum & Capricornum pervenit. Hujus cacumen ad equipedum regionem spectat, altera pars ad humeros Ophiuchi tendit. hæc occidit Virginis ortu; Oritur autem cum Scorpione. Habet omnino stellas quatuor: quarum una in principio materia, altera in medio, duæ in loco quo ferrum solet affigi, diversæ videntur.
Hæc Hyginus.

SIGNORVM COELESTIVM FINIS.

1 JANUARIUS.

Poto.



2 FEBRUARIUS.

Ligna cremo.



3 MARTIUS.

De vite superflua demo.



4 APRILIS.

Do germen gratum.



5 MAJUS.

Mihi flos servit.



6 JUNIUS.

Mihi pratum.



7 JULIUS.

Spicas declino.



8 AUGUSTUS.

Melles meto.



9 SEPTEMBER.

Vina propino.



10 OCTOBER.

Semen humi jacto.



11 NOVEMBER.

Mihi pascio fues.



12 DECEMBER.

Mihi mactio.

